

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Alcibiades II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Plato, etsi de Magis in hoc etiam dialogo loquatur, sacerdotes eos potius, quam philosophos, existimat.

ALCIBIADES II.

ALCIBIADI, ad sacrum faciendum Deosque precandos proficiscenti, obviam factus Socrates, quaerit ex eo, quid contracta fronte secum mediteretur? Ad quod solita ille animi levitate, Quid mediter? Quam ei ut excutiat, quo esse animo oporteat rite precaturum, Socrates eum docet; solere enim Deos nonnunquam, quae temere ab iis petunt homines, ut Oedipi patet exemplo, facere, maximaque adeo opus esse circumspectione. Alcibiade vero, hominis insani exemplum ad se pertinere nihil, reponente; in rerum maximarum eum versari ignorantia, quae in rebus gerendis haud multum distet ab insania, demonstrat. Insania opponitur prudentiae; eidem imprudentia quoque est contraria: iam cum inter prudentiam imprudentiamque nihil sit in medio; hominem omnem aut esse prudentem, aut prudentia destitutum; omnesque adeo imprudentes, esse insanos sequitur. At sunt plures longe, qui prudentia carent, quam prudentes, nosque versantes quotidie inter insanientes ac furiosos, qui sit, ut integri, illaesi, & a verberibus immunes degamus? Animadverso errore, Alcibiades modo dicta retractans, conclusionis vitium ibi docetur latere, ubi uni tantum unum opponi sumebatur; esse enim imprudentiam genus, cui multae subsunt species pluribus nominibus insignitae, interque eas & insaniam; proinde recte dici omnes insanos carere prudentia, etsi qui careat prudentia, non statim insanus sit vocandus. Quod itaque insania Oedipi tanquam effugio usus sit Alcibiades, nihil esse, cum fuerit nihilo secius prudentiae expers; quicumque enim, quae sint

agenda, necne, nesciat, eum esse prudentia destitutum. Quae imprudentia multos praeter Oedipum in precandis Diis graviter lapsos, ingentia sibi pro bonis mala esse precatos, exempla passim docere; recteque adeo poetam quandam hac usum precum formula: Iuppiter rex, quae conducunt nobis, sive precati fuerimus, sive non rogaverimus, nobis da; mala vero, etiamsi a te expetierimus, a nobis arce. Ad haec Alcibiades, ingentium quidem malorum causam esse ignorantiam; quemlibet tamen satis, quae sibi conducant, intelligere, nec facile, quae in perniciem sint evasura, Deos rogaturum. Quam persuasionem falsam ut ei demat Socrates, definiendam accuratius monet ignorantiam: esse namque nonnullarum rerum quibusdam hominibus ignorantiam interdum utilem; solam vero optimi ignorantiam semper nocere, eaque ubi reperitur, rerum aliarum scientiam nihil unquam prodesse. Orestem, si quod esset optimum habuisset perspectum, matrem nunquam fuisse interfectorum; optimique adeo ignorantiam obesse: eidem, si matrem nunquam agnovisset, semperque aliam eam existimasset, cum scelus non fuisset patraturus, ignorantiam hanc vehementer fuisse profuturam; ignorantiam proinde haud raro esse utilitati. Quin rerum aliarum peritiam, absque eius, quod est optimum, scientia obesse saepius, quam prodesse. Oratorem namque, qui de bello aut pace, muro exstruendo, aliiisque huiusmodi rebus consilia civitati dat, ignorans, an utilitatem haec sint allatura; qui equitandi, sagittandi, aut aliam quamvis artem caller, prudentia destitutus, eos omnes, quo tempore & modo his fit rebus utendum ignorantes, obesse sibi necesse est saepissime. Plures vero longe prudentia carentes, quam prudentes, esse omnino; nec verum esse, quod modo dixerat Alcibiades, unumquemque, quae sibi expediant, satis habere perspecta. Scientiam itaque eius, quod est optimum, maximi esse faciendam, reliquisque artibus cunctis anteponendam; praecipue autem in precibus, quas ad Deos fundimus, quidnam ab iis sit petendum, magnopere semper consideran-

dum, tutissimamque eos ingredi viam, qui Diis ipsis, quidnam optimum sit sibi, permittant decernere, nihilque aliud, quam ut, quae pulchra sunt & bona, sibi largiantur, ab iis perant: quam Lacedaemoniorum precandi formulam, Ammonem etiam ipsum, responso Atheniensibus dato, probasse. Non respicere Deos ad sacrificiorum magnificentiam, sed ad precantis animum. Praeclara sunt haec, summoque philosopho digna; tum autem temporis, cum scriberentur, maximi sine dubio fuere momenti, quod vulgus omnem fere religionem in sacrificiis, caerimoniarumque spectaculo existimabat poni, de animo moribusque emendandis parum aut nihil plane sollicitum. Primus, ni fallor, inter Graecos Pythagoras hunc errorem ex animis hominum evellere, & religionem ad mores etiam corrigendos conatus est adhibere: hunc secutus Socrates, plurima discipulis de Deo rite colendo tradidit; in hoc utilior Pythagora, quod sensum magis communem, notionesque claras, relictis Pythagoreorum mysteriis & hypothesebus, sequeretur. Post hunc Plato, quique non omnium religionum existiterunt contemptores, philosophi omnes, de cultu divino praeceperunt: quo factum, ut rudis illa barbarorum hominum religio, sceleribus tantum coercendis apta, in cultum transfret puriorem, & ad animum ipsum emendandum adhiberetur.

CHARMIDES.

CHARMIDEM, optimae indolis eximiaque pulchritudine iuvenem, ad studium sapientiae accensus Socrates, ut colloquendi cum ignoto antea sibi nancisceretur occasionem, medicum sese simulat, qui, incantatione a Thrace quodam accepta, capitis possit mederi doloribus. Quam cum avidè ab eo expereret Charmides, professus simul, de Socrate mul-